



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

231. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias, nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum mittant. Et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

De eadem re. *Ex Concilio Carthagenensi.*

CCXXVIII. Placuit ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Concil. Carthag 3. c. 16.  
Burchard. lib. 2. c. 151.  
2. Tim. 2.

De eadem re. *Ex eodem Concilio.*

CCXXIX. Item placuit ut Clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem, quantum dederit, accipiat.

Concil. Carthag 3. c. 16.  
Burchard. lib. 2. c. 124.

*Ex Capitularium lib. 11. cap. xxxvi.*

CCXXX. Ut Presbyteri à turpibus lucris & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

Lib. 2. Capitular. c. 37.  
Burchard. lib. 2. c. 125.

De eadem re. *Ex Concilio Chalcedonensi.*

CCXXXI. Pervenit ad sanctam synodum quod quidam qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & secularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium parvipendentes, secularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum

Concil. Chalcedon. c. 3.  
Burchard. lib. 2. c. 145.

114 REGINONIS LIB. I.  
sollicitudinem sumentes. Decrevit itaque sanctum Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, non monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se miscere, præter ecclesiasticarum rerum sollicitudinem.

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi*  
*cap. XLIX.*

Concil. Meld.  
c. 49.  
Burchard. lib.  
2. c. 146.  
2. Tim. 2.  
\* Apud Sirmondum:  
aliorum. Sic  
etiam in vet.  
cod. nostro.

CCXXXII. Ut nemo laicorum Presbyteros Ecclesiarum suarum turpi villicationi & secundum Apostolum, seculari & inhonesta negotiationi implicare nec secum \* alios contra auctoritatem ducere præsumat, quò ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quòd si contra interdicta præsumperit, excommunicetur.

De his qui per pecunias fuerint ordinati.  
*Ex canone Apostolorum.*

Canon. Apostolor. c. 30.

CCXXXIII. Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur ipse & ordinator ejus & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus à Petro.

De eadem re. *Ex Concilio Chalcedonensi.*

Concil. Chalcedon. c. 2.  
Burchard. lib.  
1. c. 112.

CCXXXIV. Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem & sub pretio redegerit Spiritus sancti gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum aut Presbyterum aut Diaconem, proprii gradus periculo subjacebit. & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione proficiat, sed